

Quartus Philosophorum

10. ar. 1. quod aliquando eternitas significatur nominibus successivis rerum temporalium metaphorice. Et si queratur an eternitas dicatur pluraliter dicendum quod non nisi forte secundum quod multa possunt participare eternitatem ar. 3. ad primum. Ad aliud dicitur quod in divina cognitione non est successio nec mutatio: sed in rebus cognitis vide. 1. par. q. 19. ar. 7. Nec inconuenit deum esse in tempore ut est res quedam non autem mensura. Ad aliud dicitur quod eternus aliquando capitur pro magno tempore/ unde albertus in fine. 4. phi. dicit quod primo capitur pro principio carentie principio et fine et successione. Secundo pro aliquo quod mutatur et habet successionem/ tamen non habet principium neque finem et sic philosophus dicit tempus eternum. Tertio eternum capitur pro diuturno. S. Tho. 2. 2. q. 16. 4. ar. 2. ad. 6. Et si dicatur quare peripatetici nichil determinauerunt de eternitate/ dicit albertus quod forte eorum tractatus non peruenit ad nos: quia tamen tempus ab euo venit secundum boetium de euo et eternitate determinandum est. Gilbertus porro dicit eternitatem esse moram continuam non interceptam ysaac phis israelita dicit quod est spatium continuum non interceptum id est non habens successionem. Sed tunc queritur quomodo verbaliter preteriti et futuri temporis possunt dici de deo si in sua duratione non sit preteritum neque futurum. Respondet Sanctus Thomas in primo di. 8. q. 2. ar. 3. 3. quod verba preteriti temporis dicuntur de deo quantum ad id quod perfectio est in ipsis vel quia deus nulli tempori deest ibidem ad quartum. Aliqua enim sunt entia successiua et horum perfectio significatur per preteritum futurum etiam longius distat a deficiendo et ideo potest attribui deo. Si queratur cum eternitas sit ens posituum quare diffinitur per negationem scilicet intermita bilis vite cum negatio non sit de essentia eius. Dicendum quod intellectus noster primo apprehendit composita et inde venit in cognitionem simplicium sicut est eternitas per remotionem compositionis.

Ad secundum propter quod secundum albertum anti qui negauerunt eternitatem dicitur quod deus habet quantitatem virtutis (et hec omnia ponit Sanctus Thomas opus. 44. c. 4.) Si dicatur omne mensurabile est finitum: sed virtus dei est infinita: ergo non mensuratur eternitate. Negatur maior nisi in his que mensurantur tempore. Si dicatur omnis mensura differt a mensurato sed non sic est de eternitate. Item si eternitas esset mensura tunc esset numerus substantie eterne: sed deus non mensuratur. Dicendum quod hec argumenta procedunt de mensura que est tempus. Ad aliud tactum in principali argumento negatur quod omnis duratio includat prius et posterius formaliter licet sit maior alia: quia coexistit alteri et cum hoc mensura sequenti. Nota sanctus Thomas prima parte. q. 10. ar. 2. ad. 3. deus non est aliquomodo mensuratus: sed eternitas a nobis apprehenditur quasi mensura eius.

Ad tertium dicitur quod materiale in tempore est prius et posterius in motu: scilicet difformitas in eodem secus est de formali. Ad aliud dicitur quod argumentum procedit de uniformitate materiali que non est eternitas. vide Lapreo. in primo dist. 9. q. prima. ar. 2.

Ad quartum dicitur quod quies est eomodo quo priuationes sunt licet proprie nec sit res permanens nec successiua nec mobile mouetur precise ratione quietis Sanctus Thomas contra gentes. li. 3. c. 26. sed propter convenientiam locati ad locum. Ad aliud negatur prima.

Ad quintum dicitur quod aliqua corruptio habet causam per se aliqua enim per se corrumpuntur que se habent contrarium. Aliqua vero per accidens corrumpuntur ut patet ex Sancto Thoma prima parte. q. 75. ar. 6. ubi etiam dicit quod impossibile est aliquid subsistens corrumpi per accidens et ex hoc videtur quod natura intendit corruptionem: quia ut supra dictum est. intentio nature nichil aliud est quam naturalis inclinatio eius sed ignis naturaliter contrariatur aque: ergo naturaliter inclinatur ad corrumpendum ipsam: sed hoc est contra Sanctum Thoma prima parte. q. 19. ar. 9. ubi dicit quod agens naturale non intendit priuationem vel corruptionem sed formam cui coniungitur priuatio alterius forme et generationem vnius que est corruptio alterius et q. 49. ar. primo dicit quod ignis non intendit priuare formam aque. Quidam dicunt quod philosophus dicit tempus esse causam per se secundum opinionem famosam antiquorum.

Ad sextum dicitur quod motus secundum se consideratus non est causa per se generationis: sed bene ut est instrumentum agentis. Et ita dicatur quod motus localis est per se calefactiuus. Sed contra Avicenna generacionis per se est causa forme: et motus localis ex sua ratione causat nouum ubi: unde est actus entis in potentia secundum quod in potentia: ergo motus secundum se est causa generationis. Negatur consequentia. Nec sequitur Avicenna denominatur a termino ad quem: magis est causa generationis quam corruptionis: quia deambulatio terminatur ad sanitatem et tamen est magis causa digestionis cibi quam sanitatis.

Ad septimum patet ex dictis. Nec inconuenit tempus per accidens esse causam discipline. Sanctus Thomas opus. 5. dicit quod tempus matutinum est maxime aptum contemplationi: quia tunc cor est liberum a sollicitudine. Et in. 4. d. 50. q. 2. ar. 4. q. 1. ad. 3. dicit quod tempus est causa obliuionis per accidens. et ideo post diem iudicium quando non erit tempus nulla erit obliuio.

Sed dices post diem iudicium erit quies celi vel ergo erit in instanti vel in tempore de hoc. q. de po. 5. ar. 5. 10. Sanctus Thomas primo ethi. lec. 11. dicit quod tempus per studium causat scientiam.

Ad octauum dicitur quod generatio pro preuisa dispositione fit in tempore illuminatio autem non est motus proprie dictus. Ad aliud dicitur quod substantia mensuratur et tamen nullam habet quantitatem preter illam qua mensuratur.

Ad nonum dicitur est supra et apud omnes est idem tempus essentialiter.



Ad quintum sic proceditur: videtur quod tempus non differat ab euo quia si sic hoc maxime esset: quia eum non habet prius et posterius sicut tempus: sed quod hoc sit falsum patet: quia non est idem angelum fuisse et fore: quia vni potest esse verum alio existente falso: ergo est alia duratio qua dicitur fuisse et qua dicitur fore. Item deus potest facere angelum non fore et tamen non potest facere ipsum non fuisse cum ad preteritum nulla sit potentia igitur ista non sunt idem. Sed contra est boetius dicens qui tempus ab euo ire iubet.

Respondeo dicendum secundum philosophum 10. metha. diuersorum generum sunt diuerse mensure cum ergo plures sint res diuersorum generum ideo oportet habere diuersas mensuras durationum. Quedam ergo est